



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IX. De ministro confessionis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

25. Quæres septimò, an præceptum Ecclesiasticum de annua confessione impletur per confessionem invalidam, vel saltèm per confessionem validam, sed informem, quam posse dari communiter docent Theologi, & patebit ex dicendis disputatione sequenti?

Respondeo hoc præceptum non impleri per confessionem invalidam, bene tamen per confessionem validam, sed informem.

Ratio primæ partis hujus resolutionis evidens est, quidquid in contrarium dicant aliqui novi Casuista: Confessio enim invalida, seu quæ fit illegitimo ministro, potius prohibetur quam præcipiatur ab Ecclesia: Ergo per eam non adimpletur præceptum Ecclesiasticum de annua confessione, sed solum per confessionem validam, seu ministro legitimo factam. Unde in capite, *Omni utriusque sexus, sæpe citato, dicitur, Omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltèm semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*. Ubi per *ly proprio sacerdoti*, intelligitur Parochus, vel alius minister legitimus, & ab Episcopo approbatus.

Quod verò per confessionem validam, sed informem, hoc præceptum impletur, sic ostenditur. Tunc impletur præceptum alicujus rei, quando omnia ad essentiam rei præceptæ requisita adhibentur: Sed per confessionem validam, quamvis informem, adhibentur omnia pertinentia ad confessionem sacramentalem, alioquin non esset valida: Ergo per illam impletur præceptum Ecclesiæ de annua confessione.

Confirmatur: Finis præcepti non cadit sub præcepto: Sed gratia per Sacramentum recipienda, cujus privatio reddit Sacramentum informe, est finis præcepti confessionis sacramentalis: Ergo non cadit sub præcepto.

Confirmatur ampliùs: Pœnalia potius sunt restringenda, quàm amplianda: Sed præceptum confessionis pœnale est: Ergo non debet ampliari ad actum confessionis formata, sed potius restringi ad actum informis, modo quoad essentiam Sacramenti sit valida.

26. Quæres octavo, an aliquando pœnitens teneatur his confiteri de iisdem peccatis?

Respondeo ad id teneri in quatuor casibus. Primus est, quando pœnitens priusquam absolveretur à peccatis, non fuit absolutus ab excommunicatione quam incurrerat. Secundus, quando pœnitens vovit se facturum confessionem generalem omnium peccatorum quæ prius confessus est. Tertius, quando quis non potest sufficienter explicare malitiam præsentium peccatorum, nisi repetendo peccata aliqua jam manifestata in aliis confessionibus. Quartus, quando urgente præcepto, vel gravi necessitate, pœnitens habens peccata reservata, confitetur inferiori Sacerdoti; tum enim peccata reservata quæ Sacerdoti inferiori, ob integritatem confessionis, declaravit, tenetur iterum superiori cui sunt reservata confiteri, ut communiter docent Theologi; quia à Sacerdote inferiori indirectè tantum & per accidens ab illis peccatis absolutus fuerat, & cum obligatione ea confitendi superiori, suo tempore.

27. Dices, in eo casu pœnitens non tenetur confiteri Sacerdoti inferiori peccata reservata superiori, cum ab illis absolvere non possit, & confessio ad absolutionem ordinetur.

Sed contra: Etiam si Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens et omnia confiteri, ut quæritatem totius culpa cognoscatur, & de illis de

A quibus non potest absolvere, ad superiorem referantur ait S. Thomas quest. 9. supplementum. ad 1.

Questione 7. supplementum. ad 1. D. Thomas. Iam sic rectè definitur ab Augustino: *Confessio per quam latens morbus, spe venia aperitur*. Dicitur demonstrat illam esse actum virtutis, effluat citivè à pœnitentia, & non à veritate, ut quidam dicunt, imperativè autem ad multas virtutes pertinere posse. Quæ omnia patent ex dictis cum explicando naturam & quidditatem virtutis pœnitentia. Unde solum hic explicanda est alia definitio Confessionis, quæ à Theologis communiter traditur, sub hac verborum serie: *Confessio sacramentalis est legitima & sacramentalis accusatio de propriis peccatis, ad eorum remissionem, tantum clavium obtinendam*.

Dicitur primò *accusatio legitima*, id est coram legitimo iudice facta, quia in hoc convenit confessioni cum aliis accusationibus iudicialibus. Ad dicitur *sacramentalis*, quia licet confessio peccatorum extra Sacramentum possit esse actus virtutis pœnitentia, si fiat ex motivo ipsius, tamen de ea ut sic non loquimur in præfenti. Tertiò declaratur propria materia hujus accusationis, dicitur *de propriis peccatis*. Demum exponitur ejus causa finalis, ac proprius illius effectus, tantum remissio peccatorum obtinenda.

DISPUTATIO IX

De Ministro Confessionis.

Ad quest. 8. Supplementum.

Quia minister hujus Sacramenti aliquo modo ad ejus essentiam pertinet, ut enim docet Florentinum, Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione Ministri, merito S. Thomas explicatà essentia & definitione confessionis sacramentalis, statim differit de ejus Ministro, de quo etiam in hac disputatione agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum solus Sacerdos sit minister Confessionis sacramentalis?

Partem negantem tenuit Wiclef, ut refert Thomas Waldensis tomo 2. de Sacram. cap. 135. asserere enim potestatem absolventi à peccatis, seu reconciliandi Deo peccatores, tam Laicis quàm Sacerdotibus communem esse. Idem docuit Lutherus in libro de abroganda Missa. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica stabilatur.

Dico breviter, solus Sacerdos est minister confessionis sacramentalis, unde ille solus potest absolvere à peccatis, & peccatores cum Deo reconciliare. Conclusio est certa de fide, & definita in Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. contra Wiclef, in Florentino, in decreto unionis, & in Tridentino sess. 14. cap. 6. ubi nullus minister alius nisi sacerdos assignatur. Et ex toto dicitur solus Sacerdos esse minister absolutionis, & c.

ba illa Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. A
solis sacerdotibus esse dicta, atque illis solis po-
testatem remittendi peccata fuisse concessam.

Idem passim docent SS. Patres. Præsertim
Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. ubi ait
inter alia, Sacerdotes Evangelicos habere pote-
statem, quam neque habent Angeli, neque Ar-
changel, neque terreni Principes, quoniam ad
hos omnes dictum non est, *Quicumque solveris*
&c. Indèque concludit Christianis omnibus
persuasum esse debere, ut Sacerdotum curationi
se submittant. Item Ambrosius lib. 1. de Pœnit.
cap. 27. jus ligandi & solvendi solis Sacerdotibus
dicit esse concessum. Idem docet Hieronymus in
cap. 16. Matthæi, ubi addit hoc in veteri lege
præfiguratum fuisse, quando iudicium inter le-
pram & lepram solis Sacerdotibus reservatum
fuit. Et Leo magnus Epist. 91. ad Theodorum,
ait indulgentiam Dei, nisi supplicationibus Sa-
cerdotum obtineri non posse. Loquitur autem
de confessione & absolutione Sacramentali, ut
ex contextu manifestum est. Augustinus vel Au-
thor libri de vera & falsa pœnitentia, de peccato-
re loquens: *Repraesenter* (inquit) *viam suam*
Dei per Sacerdotem, preveniat iudicium Dei per con-
fessionem. Demum Tertullianus lib. de Pœnit.
cap. 9. testatur Pœnitentes sui temporis, non tan-
tum lachrymari & ingemiscere solitos, sed &
Presbyteris adhiberi & aris Dei adgeniculari.

Addo cum D. Thoma hic art. 1. conveniens
fuisse, ut illi soli haberent potestatem in corpus
Christi mysticum, qui potestatem habent in cor-
pus Christi verum, quales sunt soli Sacerdotes,
unde in nullius alterius ministri consecratione
dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remis-*
eris peccata, remittentur eis. Item Sacramentum
pœnitentiæ se habet per modum iudicii, unde ab-
solutio à peccatis est actus iudicialis: Sed non est
conveniens quod in republica bene ordinata,
qualis est Ecclesia, omnes sint iudices, cum mul-
ta requiratur actus iudicialis, quæ non facile possunt
in quolibet reperiri, ut scientiam, prudentiam,
iustitiæ zelum, &c. Ergo nec quod omnes sint
confessionis Sacramentalis ministri.

Obijcies primò: Jacobus dicitur: *Confitemi-*
ni alterutrum peccata vestra, quod de confesio-
ne quæ fit in Sacramento pœnitentiæ intelligit
Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. 12. ubi
sic ait: *In omnibus scripturis divinis utiliter ac salu-*
briter admonemur, ut peccata nostra debeamus iugi-
ter & humiliter non solum Deo, sed etiam Sanctis &
Deum timentibus confiteri; sic enim per Jacobum A-
postolum nos admonet Spiritus Sanctus, Confitemini
alterutrum peccata vestra &c. Ergo licitum est cui-
libet, etiam laico, confiteri Sacramentaliter, sub-
indèque solus Sacerdos non est minister confes-
sionis Sacramentalis.

Respondet sensum horum verborum esse,
quod homines debent confiteri non solum Deo,
sed etiam hominibus, non quibuscunque, sed
habentibus potestatem absolvendi, ac proinde
solis Sacerdotibus. Unde ibi Venerabilis Beda:
In hac sententia (inquit) *illa debet esse discretio, ut*
quotidiana leviæque peccata, coequalibus alteru-
trum confiteamur; porro gravioris lepræ immunditiam
Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qua-
liter, & quanto tempore jusserit, purificari cure-
mur. Alludit ad legem lepræ, quæ leprosum ju-
bebat ostendere se Sacerdoti, ut eam judicare ac
discernere posset.

Obijcies secundo: In capite *Eures*, extra de iur-

tis, sic habetur: *Si fures furando comprehensi vel*
vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint,
communione eis non negamus. Et Cyprianus E-
pist. 13. alias lib. 3. Epist. 17. committit Diacono,
ut in absentia Presbyteri, reconciliet peccato-
rem animam agentem: Ergo Diaconi possunt
confessionem Sacramentalem audire, & Sacra-
mentaliter à peccatis absolvere.

Ad primum respondeo primò caput illud esse
vitiatum, legendum enim est: *Si fures comprehen-*
si & vulnerati, Deoque & Sacerdoti confessi &c. ut
in decretis causâ 13. infra simile caput *Eures* ap-
pendix notat, & colligitur ex eo quod in Con-
cilio Triburiensi, ex quo caput illud desumptum
est, nulla sit mentio de Diacono.

Respondet secundo, non esse ibi Sermonem
de confessione & reconciliatione per Sacramen-
tum pœnitentiæ, sed de canonica reconciliatione
cum Ecclesia. Unde sensus hujus capitis est, quod
absente Sacerdote possit Diaconus furem vul-
neratum, & peccatum suum agnoscentem & de-
testantem, reconciliare cum Ecclesia, eique com-
munionem Eucharisticam impertiri, cum Dia-
conus possit ministrare Eucharistiam. Eodem
modo intelligendus est Cyprianus, loquitur e-
nim de infirmis qui erant in pœnitentia publica,
quorum reconciliatio in foro externo propriè
pertinebat ad Episcopum, quam tamen Cypri-
anus committere cuilibet Sacerdoti, vel etiam in
ejus absentia Diacono.

Quæres, an in casu necessitatis, v.g. in eviden-
ti periculo alicujus naufragii, desicente Sacerdote,
peccator humilitatis & devotionis causâ, &
ad excitandam contritionem de peccatis, possit
Laico confiteri.

Respondet id ex natura rei esse licitum & lau-
dabile, dummodo possit fieri sine scandalo, &
pœnitens non credat, Laicum posse absolvere à
peccatis, atque statuat eadem peccata suo tem-
pore confiteri Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ sub-
jicere. Ita docent Augustinus vel Author libri de
vera & falsa Pœnitentia cap. 10. dicens: *Tanta*
vis est confessionis, ut si deest sacerdos, confiteatur
Laico. Magister sententiarum in 4. dist. 17. &
D. Thomas hic art. 2. ubi sic ait: Quando ne-
cessitas immineat, debet facere pœnitens quod ex
parte sua est, scilicet conteri & confiteri cui potest: qui
quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat
quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet,
defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet.
Nihilominus confessio ex defectu Sacerdotis Laico fa-
cta, Sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit
Sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex
parte Sacerdotis. Quibus verbis aperte docet, in
casu necessitatis confessionem illam licitam esse
& laudabilem, atque utilem, quia Christus sum-
mus Sacerdos, intuitu humilitatis ac devotio-
nis pœnitentis, supplet defectum Sacramenti,
& facit quod pœnitens iustificetur per votum
illius. Hanc verò confessionem S. Doctor vo-
cat quodammodo Sacramentalem, non quod sit
verum Sacramentum, & ex opere operato iusti-
ficet, sed quia est quædam imitatio confes-
sionis Sacramentalis, & ex ejus voto ac deside-
rio proficiscitur; illamque velle facere pœni-
tens in Sacramento, si minister adesset Sacra-
menti.

Frequentem olim fuisse in primitiva Ecclesia
hujusmodi confessionis usum, constat ex Autho-
re citato libri de vera & falsa Pœnitentia, & con-
firmatur factò ejusdem Exorcistæ, qui vocatus
F ff 3

ad exercitium sui officii, cum aliis premeretur conscientia peccati mortalis, & copiam Confessoris non haberet, accessit ad laicum ut confiteretur, timens ne demon peccata inconfessa propalaret, quod factum sic ei profuit, ut demon nullum ejus peccatum manifestare potuerit, solumque dixerit, se non posse de ejus peccatis loqui, quia antequam intraret in Ecclesiam, cum aliquo secreto sermonem habuerat, prædictam confessionem non obscure indicans. Nunc autem propter exortam Lutheri hæresim, usus hujusmodi confessionis cessavit in Ecclesia; unde non debet fieri nisi raro, & cum præmissis cautionibus. Si vero aliquando contingat fieri, non debet laicus verba formæ Sacramentalis proferre, dicendo *Ego te absolvo* &c. sed solum uti verbis deprecativi modi, dicendo, *Absolvat te Deus vel Absolvat te Summus Sacerdos, Christus*. Tenebitur autem ad servandum secretum, idque majori vinculo, quam obligatione secreti naturalis, quia hujusmodi confessio, licet non sit Sacramentalis, tamen dicit ordinem ad Sacramentum, & gerit similitudinem aliquam cum confessione Sacramentali. Unde grave peccatum mortale committeret quicumque illam revelaret, & esset dignus supplicio, non tamen eodem prorsus modo, quo Sacerdos violans sigillum confessionis.

ARTICULUS II.

Utrum in Ministro confessionis necessaria sit potestas jurisdictionis, eaque sit omnino distincta à potestate ordinis?

§. I.

Duplici conclusionem duplex hac difficultas resolvitur.

Dico primò, in ministro confessionis jurisdictionem esse planè necessariam, non solum ut licet, sed etiam ut valde à peccatis absolvat. Ita D. Thomas hic art. 4. ubi sic ait: *Sicut ille qui non est Sacerdos non potest hoc Sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem; & propter hoc oportet sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confessionem fieri: cum enim Sacerdos non absolvat nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare. Quæ veritas definita fuit in Concilio Lateranensi cap. Omnis utriusque sexus, ubi dicitur alienum Sacerdotem non posse solvere vel ligare sine licentia proprii. In Florentino in decreto unionis, ubi asseritur ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolventi ordinariam vel delegatam. Ac demum in Tridentino sess. 14. cap. 7. ubi sic habetur: *Quoniam natura & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verisimile esse hac Synode confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse quam Sacerdos in eum proferat in quem non habet ordinariam aut subdelegatam potestatem. Quibus verbis Concilium non solum conclusionem nostram aperte docet, sed etiam rationem fundamentalem quâ probetur insinuat: Hoc enim Sacramentum essentialiter est quoddam iudicium, & absolutio Sacramentalis nihil aliud est quam prolatio sententia: Atqui natura & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia**

non nisi in subditos feratur. Ergo in ministro hujus Sacramenti requiritur jurisdictio.

Dico secundò, potestas jurisdictionis est omnino distincta à potestate ordinis, quam quilibet sacerdos recipit in impositione manuum Episcopi, cum prolatione horum verborum: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisera peccata, remittuntur eis, & quorum retinera peccata, retinentur eis.* & quorum retinera peccata, retinentur eis.

Hæc conclusio est contra plures Theologos, existimantes potestatem jurisdictionis non distingui à potestate ordinis, qui tamen diversimodè explicant suam sententiam. In primis enim Armacanus lib. 11. de Questionibus Armenorum cap. 4. censet quemlibet sacerdotem hoc ipso quod est ordinatus posse valde absolvere, licet per Ecclesiæ prohibitionem fieri, ut non possit licet nisi eos quibus Ecclesiæ id permittit. Quod fit, ut si quis sciens constituitur sacerdos non habenti potestatem audiendi confessiones, contra sio ejus invalida sit & nulla, non defectu potestatis absolventi, sed ratione obicis quem apponit penitens dum contra prohibitionem Ecclesiæ constituitur ei cui non debet. Si vero bonafide & ignorans faciat, valida erit confessio; remittitur tamen illam proprio sacerdoti repetere, ut præceptum Ecclesiæ servet de confitendo proprio sacerdoti.

Sed hic modus dicendi videtur erroneus, & repugnans Conciliis supra citatis, asserentibus non quemlibet sacerdotem, sed eum tantum qui habet jurisdictionem, posse à peccatis absolvere, & absolutionem eam nullius esse momenti, quam sacerdos in eum proferat, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem, ut loquitur Tridentinum supra relatum. Ex quo manifestè sequitur, quod si quis bonafide confiteretur peccata sua sacerdoti non habenti potestatem audiendi confessiones, non absolveretur valide, defectu potestatis absolventi.

Secundò, Cajetanus tomo 1. opusculi 1. docet ad valde absolventem, nihil interdu requiri amplius, quam ut penitens se voluntarie subiciat sacerdoti habenti solam ordinis potestatem, sine jurisdictione ordinaria, vel delegata. Sicut in arbitrio habente potestatem judicandi partibus, nulla requiritur nova potestas judicandi ex parte Principis, quia nullam possunt partes in arbitrium conferre jurisdictionem; requiritur tamen ex parte ipsorum, qui se arbitrio submitunt judicando.

At hoc quoque repugnat manifestè Conciliis supra citatis, quæ requirunt in Confessorio, ut vel sit ordinarius pastor penitentis, vel si non est pastor ejus ordinarius, nec ex officio curæ regiminis ipsius habeat, licentiam seu delegationem ordinarii habeat: Ad subjectionem voluntaria penitentis, neque est ordinaria jurisdictio, neque delegata; neque enim illa subjectionem est potestas regendi animas ex officio; neque etiam est delegatio, delegare enim est actus superioris. Ergo ad valde absolventem non sufficit ut penitens voluntarie subiciat Sacerdoti.

Tertiò Navarrus in cap. Placuit dist. 4. existimat sacerdotes in sua ordinatione accipere totam potestatem jurisdictionis, sed eam ligari ab Ecclesia, ita ut neque licet neque valide possint actum exire, nisi illa permittente. Unde licet initio nascentis Ecclesiæ, omnes sacerdotes jurisdictionem possent quoscumque penitentes voluntarie se submittentibus à quibuscumque peccatis absolvere, modò tamen id non possunt, propter prohibitionem Ecclesiæ.

16. Sed hic etiam modus dicendi repugnare videtur A
verbis Tridentini supra relatis, aperte supponen-
tibus aliquos esse Sacerdotes, qui non habent
jurisdictionem neque ordinariam neque subdele-
gatam, adeoque nullam. Ergo falsum est, Sacer-
dotem accipere in sua ordinatione totam pote-
statem jurisdictionis. Deinde alie potestates à
Christo immediate concessæ, non possunt ita per
Ecclesiam ligari, ut valde in actum exire neque-
ant; ut patet de potestate consecrandi corpus
Christi, confirmationem potestatem impediri ne vali-
de operetur. Ergo si potestas jurisdictionis cui-
libet sacerdoti ex vi sue ordinationis immediate
à Christo conferatur, nullum est fundamentum
asserendi, quod possit per Ecclesiam ita ligari, ut
valide in actum exire non possit.

17. Quartò Vazquez qu. 93. art. 1. dubio 2. Ange-
lus, Petrus de Ledesma, & alii docent, quemli-
bet Sacerdotem in ipsa ordinatione jure divino
accipere completam potestatem absolventi à
peccatis, quantum est ex parte principii, sed de-
esse illis materiam, quæ per auctoritatem Eccle-
siæ eis designatur. Quod explicat Ledesma ex-
emplo Episcoporum titularium, quibus licet in
sua consecratione potestas Episcopalis confere-
tur, desunt tamen illis subditi in quos jurisdic-
tionis usum exercent. Aliud exemplum adducit
Vazquez, quod à Paludano desumptum, com-
parat enim Sacerdotes iudicibus quibusdam di-
catis Chartulariis, qui olim ab imperatore consti-
tuebantur, nullis subditis assignatis, sed solum cum
auctoritate iudicandi de litibus eorum qui vel-
lent se illorum iudicio submittere. Sicut enim illi
totam potestatem iudicariam & auctoritatem
iudicandi accipiebant ab Imperatore, quamvis
determinatio materie non fieret ab illo, sed à liti-
gantibus se sponte submittentibus; sic Sacerdo-
tes accipiunt totam auctoritatem & potestatem
absolventi à Christo, per Sacramentum ordinis,
quamvis determinatio materie, id est persona-
rum absolventiarum, non fiat à Christo, sed ab
Ecclesia.

18. Sed hæc etiam sententia displicet. Primò quia
falsum est, quemlibet sacerdotem in ipsa ordina-
tione jure divino accipere completam potesta-
tem absolventi à peccatis, sicut Episcopi titula-
res in sua consecratione accipiunt completam
potestatem conferendi Confirmationem, & Or-
dines; alias sicut Episcopi titulares valide ordi-
nant, quamvis illicitè; sic etiam quilibet Sacer-
dos quemlibet valide, quamvis illicitè, absolvet,
quod est incidere in sententiam Armacani,
suprà impugnata.

Secundò, quia hæc sententia menti & doctri-
næ Tridentini non videtur consona. nam Tri-
dentinum supra citatum hæc duo sumit tanquam
æquivalentia, habere subditos, & habere juris-
dictionem, cum sic ait: *Quoniam igitur natura &*
vario iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos
tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei
fuit, nullius momenti esse absolutionem, quam Sacer-
dos in eum profert, in quem ordinariam aut subdele-
gatam non habet jurisdictionem; id est in eum qui
non est ei subditus: Atqui Sacerdotes per Sa-
cramentum Ordinis, nullos accipiunt subditos,
ut fatentur Adversarii: Ergo neque accipiunt
jurisdictionem, juxta mentem & modum
loquendi Concilii Tridentini.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem:

Si ad valde absolvendum, præter potesta-
tem Ordinis, necessaria esset jurisdictio, nullus
posset Summum Pontificem valde absolvere:
Sed hoc est absurdum: Ergo &c. Sequela Ma-
joris probatur, Nullus potest habere jurisdic-
tionem in Summum Pontificem, quia non potest
illam accipere ab ipso Pontifice, qui sicut non ha-
bet jurisdictionem supra seipsum, ita nec potest
illam alteri conferre; neque etiam ab alio, cum
Pontifex nullum in terris superiorem agnoscat.

Respondent Paludanus, Cano, & plures alii,
jurisdictionem à Christo immediate conferri ei
quem Summus Pontifex in Confessarium eligit,
ipsam verò Pontificis electionem, esse conditio-
nem tantum requisitam, ut immediate à Christo
jurisdictio illi conferatur. Hæc solutio probabili-
tate non caret.

Melius tamen respondent, Confessarium ele-
ctum à Pontifice, ab ipso immediate accipere ju-
risdictionem; ad hoc enim non requiritur quod
Pontifex immediatam jurisdictionem habeat in
seipsum, sed sufficit quod sicut habet à Christo
potestatem subijciendi quoscunque fideles cui-
bet Sacerdoti; ita & habeat ab eodem Christo
potestatem subijciendi seipsum cui vult; ex qua
subjectione conferre censetur Sacerdoti electo
jurisdictionem in seipsum, non ut Pontificem,
sed ut peccatorem. Unde S. Thomas hic art. 4.
ad 4. ait: *Quod Prælati concessum est, quod possint*
eligere proprios Sacerdotes Confessores, qui quantum
ad hoc sunt eis superiores: sicut etiam unus medicus ab
alio curatur, non in quantum medicus, sed in quan-
tum infirmus. Quamvis ergo Summus Ponti-
fex non possit dare jurisdictionem in seipsum in
foro externo, propter excellentiam & præroga-
tivam suæ dignitatis majoris omni aliâ humanâ,
quam non decuit submitti auctoritati purè hu-
manæ iudicij ipsâ inferiorum; secus tamen de
foro interno favorabili, cujus iudicium omnibus
post Baptismi lapsis est ad salutem necessarium.

Obijcies secundò: Quilibet Sacerdos potest
quemlibet in articulo mortis existentem ab o-
mnibus peccatis absolvere; imò & quemlibet a-
lium, à peccatis venialibus, & mortalibus alias
confessis; Ergo in ministro confessionis non re-
quiritur jurisdictio, ut valde à peccatis absolvat.

Respondeo, concessio Antecedente, negando
Consequentiam, quilibet enim Sacerdos ex Ec-
clesiæ concessione, per usum continuum decla-
rata, habet jurisdictionem ad absolvendum quem-
libet in articulo mortis existentem, ut declarat
Tridentinum sess. 14. cap. 7. ubi postquam do-
cuit necessariam esse jurisdictionem in Sacerdo-
te, ut valde à peccatis absolvat, & quemlibet
Episcopum in sua diocesi, causas aliquas crimi-
num graviores suo posse peculiari iudicio refer-
vare, subdit: *Verumtamen prout admodum, ne hac*
ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei
custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in arti-
culo mortis; atque idcirco omnes Sacerdotes quoslibet
pœnitentes à quibuscunque peccatis & censuris absolvere
possunt. Ubi per articulum mortis intelligi de-
bet non modo tempus illud in quo mors jam pro-
ximè imminet, estque moraliter certa, & ferè
inevitabilis, sed etiam illud in quo est probabile
mortis

mortis periculum, eò quòd mors frequenter in tali casu eveniat; ut si prægnanti partus instat, si bellum actu aggrediendum est, aut periculosa navigatio suscipienda. Neque enim purandum est, Ecclesiam in tanto periculo, pio matris officio decesse voluisse, ac permittere ut aliquis tunc exponatur morti, sine prævia confessione, defectu jurisdictionis.

Ad illud quod subditur de peccatis venialibus & mortalibus jam remissis, similiter dicendum est, quemlibet sacerdotem toleratum habere ex concessione Ecclesiæ facultatem & jurisdictionem absolvendi ab illis peccatis, ut pater ex eo quod Ecclesia privat excommunicatū vitandum potestate absolvendi à venialibus, ut communiter docent Theologi. Aliqui tamen existimant, ad absolvendum ab illis peccatis, nullam requiri jurisdictionem, eò quòd Prælati Ecclesiæ neminem ad illorum confessionem cogere possint.

23. Obijces tertio: Potestas jurisdictionem est aliquid morale tantum, ut infra patebit: Sed ad effectum physicum, qualis est remissio peccatorum, mediante gratiā, non requiritur aliquid morale: Ergo potest jurisdictionis non est necessaria in Sacerdote, ad hoc ut remittat peccata, & ab illis sacramentaliter absolvat, sed ad id sufficit potestas ordinis, quæ physica & realis est.

24. Respondeo quod licet ad effectum physicum modo præcisè physico causandum, non requiratur aliquid morale, bene tamen ad effectum physicum, non tantum modo physico, sed etiam morali, producendum: remissio autem peccatorum mediante gratiā in Sacramento penitentiae, non tantum physicè, sed etiam moraliter causatur, quia causatur modo judiciali, qui est moralis.

25. Obijces quarto contra secundam conclusionem: Nullus est Sacerdos cui in sua ordinatione nõ detur potestas absolvendi à peccatis, in ordinatione enim sacerdotali Episcopus in persona Christi profert verba illa Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. quibus & non aliis Christus contulit Apostolis integram potestatem jurisdictionis in foro interiori: Ergo potestas jurisdictionis, nihil importat præter potestatem ordinis, siue characterem.

26. Respondeo Sacerdotes ex vi suæ ordinationis, & illorum verborum, *accipite Spiritum Sanctum*, &c. recipere potestatem absolvendi à peccatis, non moralem, in qua consistit potestas jurisdictionis, sed physicam, in qua consistit potestas ordinis. Ad probationem in contrarium dico, quod licet Apostoli simul cum ordinatione Sacerdotali & Episcopali, jurisdictionem universalem in Christianos omnes acceperint, eam tamen non receperunt ex vi talis ordinationis, nec ex vi illorum verborum, *accipite Spiritum Sanctum* &c. sed ex speciali privilegio, ratione necessitatis, & Apostolicæ dignitatis, illis concessio. subindeque nec simplicibus Sacerdotibus, nec ipsius etiam Episcopis communicato; nam Episcopi merè rituales alicujus loci in quo nullus Christianus existit, sicut nullos habent subditos, ita nec ullam jurisdictionem, quæ sine subditis esse non potest. Eridem est de Episcopis illis qui absolute privantur suo Episcopatu, aut cum Summi Pontificis venia, illi renuntiant; hi enim omnes sunt quidem Episcopi quoad characterem, & potestatem ordinis, tamen careant jurisdictione, quam vel nondum acceperunt, vel eà spoliati sunt.

27. Instabis: Sacerdotes ex vi illorum verborum,

A *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. constituuntur iudices, subindeque potestatem judiciariam recipiunt: Sed potestas judiciaria est potestas moralis & non physica: Ergo ex vi illorum verborum Sacerdotes recipiunt potestatem moralem absolvendi à peccatis, ac potestatem ipsam jurisdictionem.

Confirmatur: Potestas physica ad absolvendum à peccatis consistit in characterē sacerdotali. Sed antequam Episcopus proferat illa verba, *Accipite Spiritum Sanctum*, quorum remissio penitentia &c., Sacerdos characterē sacerdotali nungnitur est: Ergo antequam illa verba proferat, habet potestatem physicam ad absolvendum à peccatis, subindeque ex vi horum verborum non recipit potestatem physicam ad absolvendum à peccatis, sed duntaxat potestatem moralem, quæ est ipsa potestas jurisdictionis.

Ad instantiam respondeo Sacerdotes ex vi illorum verborum constitui iudices apertissime, quatenus accipiunt potestatem ordinis, ratione cuius deputantur tanquam apti ad ferendam sententiam: constituuntur autem actu iudices, quando actus ipsi conferuntur subditi, quia tunc primò habent jus ad ferendam sententiam.

Ad Confirmationem dico, potestatem physicam ad absolvendum, non consistere in characterē sacerdotali, sed in quodam modo reali & intrinseco majoris perfectionis & extensionis ipsius, ratione cuius character est potentia physica non tantum supra corpus Christi reale ad consecrandum ipsum, sed etiam supra corpus Christi mysticum, siue supra fideles penitentes, ad physicè causandum in Sacramento penitentiae eorum Satisfactionem per gratiam: licet autem antequam Episcopus in consecratione Sacerdotum proferat hæc verba, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. jam sint characterē sacerdotali insigniti, secundum quod character importat præcise potentiam physicam supra corpus Christi reale, non tamen secundum quod, ratione prædicti modum, est insuper potentia physica supra corpus Christi morale & mysticum, illum enim modum recipit solum in prolatione illorum verborum, *Accipite Spiritum Sanctum* &c.

Obijces quinto: Initio nascentis Ecclesiæ omnes Sacerdotes poterant quoscunque penitentes, voluntarie se submittentes, à quibuscumque peccatis absolvere: Ergo quilibet Sacerdos habebat jurisdictionem ex vi suæ ordinationis. Consequentia videtur legitima, hæc cedens verò probat Navarrus ex cap. *Placuit*, de Preb. dist. 6. in quo Urbanus II. qui floruit circa annum 1100. prohibet, ne deinceps ulli Sacerdoti liceat, quemlibet alteri Sacerdoti committum, ad penitentiam recipere, siue ejus consensu, cui potest se commisit: Nam dictio *Deinceps* (inquit) & similes, denotant constitutiones in quibus ponuntur, præterita non comprehendere, subindeque ante illam constitutionem Urbani II. consuevit se fideles alteri quam proprio Sacerdoti committere.

Respondeo primò, negando Antecedens, nam longo tempore ante Urbanum II. non licebat fidelibus alteri quam proprio Sacerdoti committere, ut colligitur ex Epistola 2. decretali Calixti I. quæ habetur in Decreto Gratiani 9. quæst. 1. ubi sic dicitur: *Nemo alterius terminum insurpet, nec alterius parochianum judicare præsumat, quia talis sententia irrita erit, nec ulli vim habebit.* Unde particula illa *deinceps*, quæ Urbanus II. in sua constitutione usus est, non significat antea

fuisse licitum confiteri cuilibet Sacerdoti, sed est confirmatio prohibitionis antiquae: saepe enim solent confirmari ordinationes antea factae, vel ut habeant maiorem vim, vel quia antiquae incipiunt à plerisque negligi, & in desertudinem abire.

33. Respondeo secundò, dato Antecedente, negando Consequentiam, nam quamvis initio nascentis Ecclesiae, usque ad tempora Urbani II. fuisset illa consuetudo, ut quilibet Sacerdotes, quoscunque poenitentes absolvent, habuissent tunc Sacerdotes potestatem jurisdictionis absolvendi quoscunque, non præcise vi suae ordinationis, sed ex concessione Ecclesiae ita volentis, sicut nunc vult ut Sacerdos quilibet possit quemlibet in articulo mortis existentem ab omnibus peccatis absolvere, imò & quemlibet alium à peccatis venialibus, & mortalibus aliis confessis, ut in solutione secunda objectionis declaravimus.

§. III.

Corollaria notata digna.

34. EX dictis inferes primò, potestatem jurisdictionis in foro poenitentiali esse quid morale, nimirum deputationem legitimam ad exercendum officium Confessoris, absolvendum à peccatis, modo judiciali, sicut potestas jurisdictionis in foro externo, consistit solum in deputatione legitima ad exercendum officium iudicis, sive ad absolvendum seu damnandum modo judiciali. Hoc tamen inter has duas potestates discrimen intercedit, quod potestas jurisdictionis in foro externo, non praesupponit necessarium aliam potestatem physicam, quae sit fundamentum illius; nihil enim physicum habet iudex in foro externo, ratione suae dignitatis, quod non habeant vel habere possint ceteri cives, dignitate iudicis desitunt: contra verò potestas jurisdictionis in foro poenitentiali, necessarium supponit aliquam potentiam physicam ordinis supernaturalis, nimirum characterem sacerdotalem, cum modo reali & intrinseco extensionis supra corpus Christi mysticum, ut supra diximus: unde carentes characterem sacerdotalem, non possunt ab Ecclesia deputari ad exercendum officium Confessoris, & absolvendum à peccatis, modo judiciali.

35. Inferes secundò, potestatem jurisdictionis in foro poenitentiali duplicem esse, sicut in aliis judiciis, ordinariam nimirum, sive ex officio, & delegatam, sive ex commissione. Ordinaria dicitur illa quam quis habet ex vi proprii iuneris & officii, qualis est ea quam habet Summus Pontifex in omnes fideles, Episcopi in sua dioecesi, Parochi intra limites suae parochiae, & Praelati Religionum in suos subditos; illi enim omnes ex officio sunt pastores animarum. Delegata verò ea dicitur, quam quis habet non ex officio, sed tantum ex commissione alterius qui habet jurisdictionem ordinariam.

36. Inferes tertio, potestatem jurisdictionis in multis differre à potestate ordinis. Primò quia potestas ordinis confertur cuilibet Sacerdoti, per sacram ordinationem; potestas verò jurisdictionis per deputationem legitimam ad exercendum officium Confessoris, & absolvendum à peccatis. Secundò, quia Sacerdotes omnes in potestate ordinis aequales sunt, non verò in potestate jurisdictionis. Tertio, potestas ordinis invariabilis est ac indelebilis, secus verò potestas jurisdictionis, quae potest augeri vel minui, imò & totaliter

Tom. V.

A auferri, etiam in Summo Pontifice, qui licet suam jurisdictionem supremam & amplissimam immediate à Deo habeat, potest tamen si velit illi renuntiare, ut à Coelestino IV. factum est. Deum potestas ordinis non potest delegari, bene tamen potestas jurisdictionis.

37. Quares ad complementum hujus disputationis, an approbatio Episcopi sit conditio necessaria requisita, ad hoc ut Sacerdos in foro poenitentiali habeat jurisdictionem, & valide à peccatis absolvere possit?

B Respondeo affirmative, quamvis enim jure antiquo illa non esset necessaria, sed sola superiorum licentia sufficeret, jure tamen novo, in Concilio Tridentino edito, illa necessarium requiritur, nam sess. 23. cap. 15. de Reformatis habetur: *Decernit sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegium & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Ubi duo modi approbationis assignantur: alter per collationem parochialis beneficii, alter per examen Episcopi, si illis videatur esse necessarium. Prior modus antiquus est, posterior novus, & à Concilio introductus. Sicut ergo idem Conciliū sess. 24. cap. 1. de Reform. statuit ad validitatem matrimonii requiri praesentiam Parochi cum duobus vel tribus testibus, quae tamen antea non requirebatur: ita decrevit ad validitatem Sacramenti poenitentiae, requiri necessarium in ministro approbationem Episcopi, quae antea requisita non erat. Unde sicut post Tridentinum, matrimonium clandestinum invalidum est; ita & absolutio data à Sacerdote ab Episcopo non approbato. Quare poenitens, etiam si bonà fide confiteatur Sacerdoti ab Episcopo non approbato, tenebitur iterum confiteri approbato, cum primum id noverit: atque ita ferunt declarasse Congregationem Cardinalium, qui auctoritatem habent explicandi Concilium.

D Ex his inferes primò, eos qui obtinent parochiale beneficium, id est cui animarum cura annexa est, non egere Episcopi approbatione, ut possint audire confessiones, quia Concilium illos excipit, his verbis: *Nisi aut parochiale beneficium obtineant.*

38. Inferes secundò, Episcopos, vel Abbates Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, non egere approbatione, cum sit eadem vel potior ratio de his ac de Parochis; bene tamen superiores Religionum, cum hi nullo modo eximantur à Concilio. Idem dicendum de publicis Theologiae Doctores, ut anno 1577. definivit Pius V. qui tamen vetat eos pravo examine approbandos esse, ut refert Henriquez lib. 6. de Sacram. cap. 6. Aliqui tamen existimant eos ab illa lege excipi, eo ducti argumento, quod approbatio publicae Academiae suppleat approbationem Episcopi. Sed standum est declarationi Pontificis.

39. Inferes tertio, non posse Parochos deputare ad audiendas suorum Parochianorum confessiones, cum qui neque est approbatus ab Episcopo, neque parochiale beneficium obtinet; ille enim à Concilio non reputatur idoneus hujus Sacramenti minister.

40. Inferes quarto, Episcopum non posse sibi eligere in Confessarium Sacerdotem sibi non sub-

ditum,

Egg

ditum à proprio Ordinario non approbatum, ut determinavit Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, circa cap. 15. sessionis 23. Verba ejus sunt: S. D. N. audit & relatione Congregationis, declaravit Episcopum vigore privilegii de quo in cap. fin. de Penit. & Remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam hujus decreti (Tridentini Concilii) admissus, seu approbatus, ad audiendas confessiones.

42. Inferes quinto, ad audiendas Confessiones Regularium, non esse necessarium habere Episcopi approbationem, quia Concilium limitat suum decretum ad eos qui audiunt Confessiones secularium, his verbis: Nullus etiam Regularis, possit confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire. Unde non tenentur Superiores Religionum, cum Confessarios assignant suis subditis, eos Episcopo præsentare, ut ab eo approbentur. Ex quo

43. Inferes sexto, quod quando Superior concedit subdito licentiam eligendi sibi Confessorem in itinere, potest sibi eligere quemcumque, etiam ab Ordinario non approbatum; nam hoc ipso quod licentia non limitatur, censetur concessa in sua amplitudine.

44. Inferes septimo, probabilius esse ad audiendas Confessiones non sufficere approbationem petitam ab Episcopo, & ab illo injustè negatam. Concilium enim requirit ut Confessarius sit approbatus, si beneficium parochiale non obtineat: non est autem approbatus, qui tantum petit & non obtinet approbationem, sive justè negetur, sive injustè. Neque obstant variae Pontificum Constitutiones, nempe Clementis V. Benedicti XI. & Leonis X. concedentium Fratribus mendicantibus licentiam audiendi Confessiones secularium, si Episcopus eam injustè ipsis denegaverit; his enim omnibus videtur Tridentinum derogare voluisse, hæc generali clausula, Privilegiis & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.

45. Dixi probabilius esse, quia opposita sententia non caret probabilitate, pluresque habet illustres patronos ac defensores, nempe Navarrum, Dianam, Rodriguem, Layman, Henriquem, qui ait illam communiter receptam esse à Doctoribus Salmanticensibus, & Complutensibus, fuisseque in Academia Parisiensi publicè propositam, & propugnatam; & ex Doctoribus Parisiensibus illam expressè docet Gamachæus Tract. de Penit. cap. 18. his verbis: Si tamen obtinere non potuerint Religiosi licentiam, & revera digni inventi fuerint, tunc temporis Summus Pontifex de plenitudine Apostolica potestatis, eandem facultatem simpliciter illis concedit: Atque omnes istæ Extravagantes in corpus juris communis relatae sunt, & multæ jam locis in praxim redactæ, neque à Concilio Tridentino mutatae aut revocate. Et fanè evidens non est, neque certum, voluisse Tridentinum derogare prædictis Pontificum Constitutionibus: Tum quia non est credibile, Concilium voluisse favere injustitiæ Prælatorum injustè approbationem Regularibus recusantium, & aliquorum odiis adversus illos. Tum etiam, quia ut ex Archidiacono & Felino docet Navarrus in Summa cap. 27. ut Concilii generalis decreto censetur derogatum, requiritur expressa ejus derogatio, quia hujusmodi Concilii decretum, speciali honore & prærogativa dignum est, ita ut non veniat in generali revocatione intelligendum: Prædictæ vero Clementis V. & Leonis X. Constitutiones, in

A Conciliis generalibus Viennensi, & Lateranensi editæ sunt: Ergo illis non videtur Tridentinum derogare voluisse.

Quæres secundo, utrum ministrans Sacramentum cum jurisdictione tantum probabiliter, valide absolvat?

Respondeo validam esse absolutionem, Sacramentum ministrare in casu necessitatis. Licet enim in materia & forma Sacramentorum non liceat sequi opinionem probabiliorum, bene tamen in jurisdictione. Ratio est, quia in primo casu exponit quis se periculo faciendi Sacramentum invalidum, non autem in secundo; cum enim ministrans Sacramentorum, non dependat ab Ecclesia de consensu ejus, sed ab institutione Christi. Ecclesia non potest, etiam in casu necessitatis, defectum supplere: è contra verò, cum periculo ab Ecclesia pendeat, quando probabiliter existimans se habere jurisdictionem, quæ tamen de facto non habet, ministrans Sacramentum penitentiae in casu necessitatis, tunc Ecclesia censetur supplere jurisdictionem; ut constituitur Parocho, cujus acta omnia valida sunt, si communiter habeatur ut Parochus. Dixi, si ministrat Sacramentum in casu necessitatis, quia nunquam Ecclesia supplet jurisdictionem, nisi in necessitate.

DISPUTATIO X

De Qualitate & Integritate Confessionis.

Ad quæst. 9. Supplementum.

Celebris est hæc disputatio, in eamque dem plures agitari solent graves difficultates & controversiæ, sequentibus articulis discutiendæ & resolvendæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & in quibus casibus, confessio posita esse informis, & tamen valida?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

Notandum primò, hæc nos non loqui de deformitate quæ proveniat ex defectu formæ sacramentalis: Sed de ea quæ provenit ex defectu gratiæ, & remissionis peccatorum. Unde nomine Confessionis informis, sed tamen validæ, intelligimus eam quæ caret effectu ob quem fit videlicet gratiæ & peccatorum remissionis, per quam tamen conficitur verum poenitentia Sacramentum, adveniente formæ absolutionis. Ratio autem hujus denominationis est, quia cum ultima forma Sacramenti poenitentiae veluti extrinseca, sit gratia, quæ significatur & constituitur virtute ipsius, si detur Confessio sacramentalis, quæ non obstante suo valore cum forma absolutionis non producat gratiam, dicitur informis.